





16
E. 21. num. 39.

1711, 7

16

10

CUM DEO
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE

INTEMPESTIVIS DESPONSATIONIBUS

QVAM
DIVINO FAVENTE NUMINE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

57 280
GUILIELMO HENRICO

DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM,
ANGARIÆ, WESTPHALIÆQUE, ET RELIQVA.

Ex Decreto & Auctoritate Illustris Facultatis Juridicæ

IN ALMA SALANA

PRÆSIDE

DN. IOHANNE BERNHARDO *Griesen*

HEREDITARIO in Pöfen/

Jcto Famigeratissimo, Serenissimi Ducis Saxo-Isenacensis Consiliario
Aulico, ac Consistoriali, Antecessore, nec non Collegi Juridici
& Scabinatus Assessore Gravissimo,

Domino Patrono suo atatem devenerando,

*Pro summis in utroque Jure honoribus ac privilegiis Doctoralibus
rite consequendis*

Publicæ Eruditorum disquisitioni subiciet

JOHANNES HARTMANNUS

EILINGEROD. EICHSFELDIACUS.

ad D. Julii 1711.

IN AUDITORIO JCTORVM

horis ante- & pomeridianis.

JENÆ, Literis WERTHERIANIS.



DISSECTATIO IN ABERGALLIS JURIDICA
DE
INTEMPESTIVIS
RESPONSATIONIBUS

QVAM
DIVINO LAVENTE NYMINE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS XC DOMINO
DOMINO

GUILLIELMO HENRICO
DUCE SAXONIE, MILITIS CLAVIS AC MONTIUM
ANGARIE, WESTPHALIAE ET RELIOVA
IN ALMA SALANA

FRASIDE
DN IOHANNES BERNHARDO
HARBDITARIO in Pöffen

Scio Familiarem, Serenissimi Ducis Saxo-tenacensium
Aulico, ac Constitutioni, Antecessore, nec non Collegii
Dominus Patronus suo statum decesserit
pro summo in utroque iure doctoribus ac physice Doctore

Publitz Eruditorum disputationi subiectis
vix cognoscenda
JOHANNES HARTMANNUS
ELINGEROD. EICHSELDIACUS
IN APTIDORIO PECTORUM

LIBRARY
UNIVERSITY OF
SACHSEN-ANHALT

JAN. 1717





DISPUTATIO INAUGURALIS,

DE

INTEMPESTIVIS DESPONSATIONIBUS.

TH. I.



Nil adeo Sanctum, honestum, & necessarium est in vita humana, quod per hominum malitiam non convertatur in abusum, quod etiam contingit in matrimonio contrahendo, & quidem eo magis, quo homo amplius a depravata per peccatum natura stimulatur, & inordinate propendet ad generationem. Et quia desponsationes matrimonium ut plurimum præcedunt, maxime in desponsationibus perversus ille usus sese exercit. Mei instituti non est generatim de omnibus inordinatis desponsationibus agere, sed tantum de iis, quæ intempestive contrahuntur.

Th. 2.

Sunt vero desponsationes, sive sponsalia intempesti-

pestiva, vel propter defectum ætatis, vel rectæ deliberationis in re adeo gravi adhibendæ, vel quoad modum contrahendi, dum negligitur eorum consensus, quorum necessario est exquirendus & impetrandus, vel dum alias contrahuntur ante tempus lege permissum.

Th. 3.

Ratione ætatis intempestiva sponsalia sunt, quæ inter minores septennio celebrantur, & illa sive sint de præsentis, sive de futuro, nullius sunt roboris deficiente consensu ad contractum quemlibet in eundem requisito §. 9. *J. de inutil. stip.* Ideoque si duo infantes, vel unus septennio major, alter minor, *cap. 2. x de despons. impub. cap. 1. de despons. impub. in 6.* nisi eadem verbo, v. g. quia se vocant sponso, vel facto v. g. per mutuam cohabitationem *eodem cap. in 6.* in domo viri vel mulieris, vel cujuscunque *Sanchez Lib. 1. de spons. disp. 16. n. 6.* vel si post septennium simul jaceant, vel se osculentur ut sponsi, item si alter alterius domum petat, vel mittat munuscula a sponsis miti solita, adepta pubertate ratificaverint, *per lapsum temporis non confirmantur, quæ ab initio non subsistebant cap. 18. de R. J. in 6.* Hoc tamen bene observandum est, tunc signa paulo ante recensita inducere tacitam ratificationem, & consensum, quando contrahentes notitiam habuerunt sponsaliorum tempore infantiaë contractorum, qua deficiente nullus consensus *cum nihil volitum quin præcognitum, reperiri potest.* Deinde quando sciverunt sponsalia tempore infantilis ætatis haud valide fuisse inita. Si enim ex errore tanquam valida ratificent errore consensum tollente nihil agunt *L. 15. ff. de Jurisd.*

Jurisd. Sanchez. d. loco n. 7. Ex quibus liquet, quod non sola cohabitatio, nec aliud factum faciat convalere sponsalia, sed consensus ex facto praesumptus. Nec nixus ad copulam ante septennium memorata sponsalia convalidare valet. Et quia dicta sponsalia ex defectu consensus requisiti sunt nulla, eorum effectum, quem alias habent de jure canonico, scilicet impedimentum publicae honestatis *cap. 4. 5. x de spons. impub.* producere non possunt *d. cap.* quia deficit consensus, tam in copulam, quam non intelligit, quam in sponsalia, nam talis nixus non supplet id, quod non est, quo spectat *cap. fin. x de sponsalibus cap. 10. x de spons. impub.* Ex dictis colligitur maxime cum Pontifice Alexandro *cap. 4. x de spons. impub.* improbanda esse sponsalia cum infante in cunabilis contracta. Nec sponsalibus hactenus expositis poena adjecta exigi ulla ratione potest, sive ab impuberibus fuerint apposita, sive a Parentibus eorum, vel aliis sponso- rum valde junctis personis unde timeatur coactio. Sanchez *lib. 1. de spons. disp. 30. n. 2. & 3.* de qua re extat celebre *cap. gemma XXIX x de spons.* Nam nullius momenti est ejusmodi poenae adjectio *d. cap.* & est contra bonos mores SchneideW. *in comment ad J. tit. de nup. n. 15.* cum per ejusmodi adjectionem coacta inducantur matrimonia, quae difficiles solent habere exitus *cap. XVII x de spons.*

Th. 4.

Ubi illa occurrit quaestio an dispositio *d. cap. Gemma.* pertineat non tantum ad impuberum, sed etiam ad puberum sponsalia. Et non duntaxat ad sponsalia de futuro, sed etiam de praesenti? Et non solum ad impuberum, sed etiam ad puberum sponsalia de futuro spectare certius est, cum eadem adfit ratio, adeoque eadem

ris dispositio obtinere debeat per L 32. ff. ad Legem. aquil.
 & L 14. ff. de LL. Ad sponsalia de presenti videtur non
 pertinere secundum Carpz. Cum enim ad ea adimplenda
 contrahentes possint cogi carcere, vel relegatione Carpz.
 p. 4. const. 20. def. 10. cur non etiam poena adjici posset?
 cum non magis quis cogatur per commodi pecuniarii
 iacturam quam per relegationem, mi 1501121. obtingens

Th. 5.

Sed hac quaestio videtur dependere ab illa tanquam
 praesudiciali, an sponsalia de presenti sint verum matri-
 monium, & consequenter sint indissolubilia, & habeant
 consummandi necessitatem. Verum enim vero quia haec
 discussio videtur recedere a proposito meo, affirmativam
 sententiam suppono ex cap. XXXI x. de spons. cap. XXV.
 cap. XXII. eodem. & probatissimis auctoribus. Thesi
 quartae praecedenti obviare videtur L 134. ff. de r. o. ubi
 dicitur: *In honestum visum est vinculo poena matrimonia
 constringi sive futura, sive contracta.* Resp. legem illam esse
 intelligendam secundum statum romanum, ubi matri-
 monia solvi placebat, quando displicebat conjux, & sic
 eo jure non poena, sed amore contineri debebant matri-
 monia. Hodiernis moribus imitantibus jus divinum
 matrimonia sunt indissolubilia, & ad ea implenda con-
 trahentes cogi possunt, ut dictum est.

Th. 6.

Licet intempestiva sint sponsalia, quae impuberes
 contrahunt, cum eorum non satis maturum sit iudicium,
 & potius in virtutum cultum mentem intendere, & de
 bona eruditione, quam de liberorum procreatione cogi-
 tationem in animum inducere deberent, & idcirco in-
 fantili ingenio non facile concedenda, contracta tamen
 de

de iure subsistunt *cap. ult. de despons. impub.* cum in
 iisdem adsit consensus ad se obligandum sufficiens §. 9.
Et 10. 7. de inutil. stip. & horum ea vis est, quod ante
 pubertatem ab iis resilire non liceat *cap. 7. x. de despons.
 impub.* idque ut occurratur impuberum levitati, ne mox
 hæc, mox alia contrahant sponsalia, de æquitate tamen,
 ut eorum immaturo iudicio succurratur, omnino illis
 concedendum est adepta pubertate, licet alter impuberum
 contrahentium ad eam nondum pervenerit, recedere.
 Cum enim id possit facere alter alterius impuberi atate
 completa, & contradicente, poterit etiam adhuc altero
 impubere existente, nisi tamen carnalis copula intercesse-
 rit, quæ facit subesse verum matrimonium consumma-
 tum, quod iure divino est indissolubile *Cap. 8. x. de despons.
 impub.* certe enim tunc malitia supplet atatem, quo casu
 validum inter impuberes contrahitur matrimonium, ha-
 bent enim sponsalia eum effectum de iure canonico, ut
*accedente copula transeant in matrimonium cap. 30. x.
 de spons.* licet aliud sit inductum per concil. trid. per
 quod ad formam matrimonii pertinet assistentia Parochi
 cum testibus, sed id nos non attendimus, nec inter Pon-
 tificios quo ad hanc rem ubique est receptum.

Th. 7. de spons. impub. §. 10.
 Ex eo, quod dictum est, impuberum sponsalia non
 esse adeo firma, ut ab iis adepta pubertate recedere non
 possint, inde consequitur ex canonum dispositione con-
 tinere tacitam conditionem hanc: *Si postea pubes factus
 approbaverit*, quæ sponsalia sub dicta conditione contra-
 cta producant obligationem ad expectandum in pubere
 altero cum impubere contrahente, an sc. impubes
 adepta pubertate sit approbaturus, ut etiam hic sit con-

tra-

tractus ex una parte claudicans *pr. J. de auct. tut. & L. julianus 13. §. 29. ff. de act. emp. vend.* Nam licet cano-
 nes isti contractui impuberis eatenus assistant, ut ante
 adeptam pubertatem recedere non possint, pubertate
 tamen adveniente, si displicuerit, eundem improbare, si
 placuerit, approbare possint in præjudicium puberis sibi
 imputaturi quod cum tali contraxerit *L. 203 ff. de R. J.*
Et ne, quod in alicujus favorem est introductum detor-
queatur in ejus odium L. 6. C. de LL. Et hoc obtinet non
 tantum in foro externo, sed etiam in interno & con-
 scientiæ, utitur enim dispositione juris justa præsertim in
 re tanti momenti, ubi maturiori consilio opus est, propter
 incommoda quæ concomitari eam solent, nec pubes ab
 hujusmodi obligatione ullatenus sese liberare potest,
 secus ac in negotiis aliis civilibus, ubi pubes agere potest
 adversus impuberem, ut cum autoritate tutoris appro-
 bet, vel improbet negotium gestum *id. L. julianus §. 27.*
§. 28. Nam sponsalia invalida auctoritate tutoris confir-
 mari non possunt. Hoc hic notandum, quod licet obli-
 getur pubes expectare impuberis aetatem puberem, &
 sponsalium approbationem, vel improbationem, si tamen
 non expectata puberi aetate mutaverit voluntatem, & alia
 sponsalia de præsentem contraxerit, secunda præferuntur,
 quia sunt verum matrimonium, & valent, etiam si impu-
 bes postea pubes factus, expresse ratificaverit sponsalibus
 posterioribus perfectis conditionis retrotractionem impe-
 dientibus.

Th. 8. *Quid vero si juramento firmata sint sponsalia impu-
 berum? Resp. tunc ab iis altero invito recedere non lice-
 re, cum omne juramentum, quod sine dispendio salutis fer-*
 vari

vari potest sit servandum cap. 8. x de iure jurando, & cap. 18. eodem nunc autem impuberes iuramento se adstringere possunt, cum ad id sufficienti iudicio sint instructi, si enim sufficienti ratione pollent ad Deum per peccata gravia offendendum, quidni etiam ad eum per religiosam invocationem in testimonium promissionis colendum? Per restitutionem tamen in integrum, quando per contractum sponsalium sunt laesi, eis in dicto casu succurri debere existimo, cum conventio talis sponsalitia majori firmitate non gaudeat, quam quilibet alius civilis contractus, in civilibus autem negotiis succurri debere facit imbecille iudicium, & *auth. Sacramenta puberum C si advers. vendit.* argumento a contrario sensu, desumpto.

Th. 9.

Illud in vulgus notum est matrimonium impuberum esse nullum *pr. f. de imp.* cum in illis desit generandi potentia. Illud tantum paucis attingere libet, an etiam iure naturæ sit irritum. R. quod non, modo adsit intellectus sufficiens ad matrimonium. Non obstat impotentia generandi, quia non est necesse, ut actu adsit potentia illa, sufficit futura, non enim concubitus, sed consensus facit matrimonium. Imo etiam in foro externo subsistit matrimonium impuberis, si malicia iratem præveniando discretionem ad intelligendum consensum conjugalem posuerit, & potentiam quo ad ejus actum exercendam, in his enim duobus malicia illa consistit, non in altero tantum, ad quod facit *cap. 9. de desponsat. impub.*

Th. 10.

Thesi tertia dixi sponsalia infantium sc. ante com-

B

ple-

pletum septimum annum contracta nullius valoris esse, quod propterea constitutum, quia ante illam ætatem non præsumuntur intelligere, quid agatur. Quid ergo si ante illam ætatem intelligant, vel post illam nondum intelligant, an illo casu valida contrahent sponsalia, hoc vero nullius momenti erunt? Si rationem juris constituti inspicio, utrumque affirmare cogor, nam primaria causa juris constituti sc. quod minores septennio non possint contrahere sponsalia, est defectus intellectus, quare autem majores possint contrahere, est prudentia, & qualis qualis vis consilii in eligendo sibi vitæ compari, atqui in illis adest prudentia, in his vero deficit, ut supponimus; ubi ergo adest ratio juris, ibi debet esse ejus dispositio, ubi vero cessat ratio juris, ibi cessat ejus dispositio, ut adeo cedat præsumptio veritati. Determinavit quidem legislator sponsalia ad certos annos, sed judicis arbitrio eos sapienter ex causa primaria interpretandos reliquit.

Th. II.

Cum dictum sit infantium sponsalia ob defectum intellectus, & consequenter consensus requisiti non subsistere hinc illa se ingerit quæstio, an parentes liberos suos impuberes sine eorum voluntate valide desponsare possint? Pontifex *cap. 1. x de despons. impub.* inquit: Sine voluntate adulti filii id quidem patrem facere non posse, sic tamen sine voluntate impuberis, adeo, ut filius omnino promissum implere debeat. Quod certe, ut verba jacent, iniquum est, cum in electione status tam ardui libera voluntas sit relinquenda, unde pontificii DD: cum ea libertate non gaudeant, qua nos, ne cogantur dicere, pontificem hic humana passum, varie hunc textum torquent, sed nullus videtur verbis Pontificis satisfacere, unde

unde potius hunc textum ad nexos juris canonici refero. Jus civile eodem vitio laborat, dum *L. 12. ff. de spons.* constituit; quod in sponsalibus contrahendis filia non debeat habere patri dissentendi facultatem, nisi indignum moribus vel turpem sponsum pater ei eligat. Nam gravissima res est cogere ad talem personam, quam non amat, nam ubi non est mutuus amor conjugum, ibi discordia sauciat mentes, impedit invocationem Dei, turbat totam domesticam consuetudinem, & parit multa peccata, & interdum, dum voluntates distractae sunt, sequuntur adulteria, & familiae non sunt Ecclesia Dei, sed diabolorum lustra, & multi miseri homines in illis calamitatibus ruunt in indignationem adversus Deum, in desperationem & aeternum exitium, ut pulchre fatetur Schneidev. ad tit. 10. *J. de nup. parte 2. n. 17.*

Th. 12.

Illam adhuc expedienda obvenit dubitatio, an si a majore infanti facta sit promissio matrimonii, major obligetur, & teneatur expectare donec infans ad septimum annum perveniat, ubi, si noluerit infans, major sit liber, si vero voluerit, teneatur stare promissioni. Affirmativam amplectitur Sanchez *Lib. 1. disp. 6. de spons. n. 7.* & dicit favore infantium sine acceptatione valere promissionem. Probat *id n. 15. ibidem.* ubi donationem infantibus factam sine eorum acceptatione subsistere contendit *ex L. jubemus C. de emancip.* ubi emancipatio infantis valet sine ejus acceptatione. Ego negativam sequor, ex ratione: quod sponsalia sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum, quae ad sui valorem ex ipso conceptu suo includunt mutuum consensum. Ergo acceptationem, quae in infante nulla est. Et licet dictus Sanchez.

B 2

disp. 6.

disp. 6. d. L. 1. n. 7. faciat distinctionem inter promissionem matrimonii, & sponsalia, certum tamen mihi videtur, promissionem obligatoriam tanquam pactum (idem est de donatione) requirere duorum consensum, alias non posset esse vinculum juris. Alia vero est ratio donationis, alia emancipationis. Nam per donationem transfertur aliquod jus in alterum, quod sine illius voluntate, & acceptatione fieri non potest; per emancipationem dimittitur, & dissolvitur aliquod jus, ad quod non requiritur alterius consensus, quilibet enim jure suo se abdicare potest sine ullius accedente voluntate. Non obstat *L. 3. C. de A. & A. P.* ubi agitur de possessionis acquisitione ab infante facta. Sed aliud est possessionis acquisitio, alia obligationis ratio. Quod infans rerum mobilium possessionem acquirere possit, singulari ratione introductum est, quia sc. pueri avide, & cum affectu tenendi accipere solent, quæ ipsis donantur, & sic qualitercunque affectionem tenendi declarare valent, secus est in acquisitione obligationis, quam non intelligunt. Stryk. *in notis ad Compend. Lauterb. ad tit. de donat. in s.* Non obstat porro, quod detur factum obligatorium quoad modum inducendæ obligationis unilaterale sc. pollicitatio; Resp. hoc ita est, quando lex inducit obligationem, quod fit, quando Deo, vel universitati quid promissum, nihil tale statutum reperitur de promissione matrimonii infanti facta.

Th. 13.

Sæpe numero quoque contingit præpropera, & temeraria contrahi sponsalia ab adultis, & provectoris ætatis hominibus, dum sc. unus sponsorum, vel plane non, vel non satis excusis alterius ingenio & moribus in spon-

la-

falsa irruit variis ex causis obcoëctus. Hæc sponsalia valere nullus in dubium vocabit, cum in qualitate substantiali erratum non sit, sed tantummodo accidentali, sequi tamen inde solent vacillantia & infœlicia matrimonia. Nam constans, & concordans matrimonium sperandum non est, nisi ex constanti animorum consensu, qui morum consensui, & convenientiæ innuitur, quod in omni vitæ genere quotidiana docet experientia; forte fortuna evenit, ut mores eorum inter sese consentiant, qui ingenii, & morum documenta nulla dederunt. Atque hæc sine sufficienti consilio suscepta sponsalia mox parere solent pœnitentiam, unde dissolutionem optant contrahentes, quæ tamen possibilis non est, nisi ex morum disparitate oriuntur irreconciliabiles inimicitia arg. L. 3. §. f. ff. de adim. & transf. Leg. vel valde probabiliter infœlix timeatur futuri matrimonii exitus. cap. 2. x. de spons. & matr. Zoël tamen in comment. ad Decret. tit. de despons. impub. in pr. inquit, intelligendam esse hanc dissolutionem de sponsalibus de futuro. per L. 16. in f. ff. de ritu nup.

Th. 14.

Ad sponsalia, ut cum ratione, & bono consilio ineantur, requiri consensum parentum inter Doctores est receptissimum arg. pr. J. de nuptiis junctâ L. 7. §. 1. & L. 15. in f. ff. de sponsalibus, quod ita sese habet: quorum in nuptiis desideratur consensus, eorum in sponsalibus etiam est exigendus. Atqui in nuptiis desideratur parentum consensus; ergo etiam in sponsalibus. (2) quod de nuptiis tractamus ad sponsalia pertinet L. 15. (quando scilicet utrobique est eadem ratio) atqui ad nuptias requiritur parentum consensus pr. J. de nup. ergo etiam

B. 3.

adi

Sponsalia. Et id duabus summis rationibus innititur civili altera scilicet patria potestate, vi cuius competit patri jus in liberos, adeo, ut non sui, sed alieni juris dicantur, & sint, cum ergo iusta ratione parenti competat jus in liberos, quod iis subjective, & objective inhæret, vi cuius etiam patri datur vindicatio *L. 1. §. 2. ff. de rei vind.* inique facit filius vel filia familias patri suo se subtrahendo, nam *quod meum est sine facto meo a me auferri non potest L. 11. ff. de R. J.* Huc etiam adducitur illa ratio, ne patri invito suus hæres agnoscatur *§. 7. J. de adop.* nam iustas fundatur in patria potestate *§. 2. J. de hered. qual. et differ. §. 2. J. de hered. que ab intest. defer.* Et si filio familias non licet alienare bona, in quibus pater habet usumfructum, *lult. §. 5. versu filius autem C. bonis de quælibet.* qua ratione ipsi licebit alienare suum corpus, in quod pater habet imperium? quod autem per matrimonium fiat alienatio quædam patet *ex genes. 2. in f.* ubi Deus inquit: *quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhaerebit uxori sue.* Altera ratio est naturalis scilicet reverentia & obsequium naturæ lege parentibus omnibus debitum *L. 2. ff. de just. & jur.* priorẽ rationem magis videtur spectasse Justinianus, quam alteram, alias etiam matris consensus fuisset necessarius, qui tamen necessarius non est, *L. 2. C. de nuptiis nisi in filia 25. annis minore, & patre orbata, hæc enim propter iudicii imbecillitatem, debet adhibere matris, & propinquorum consensum d. l. 20.* Hodiernæ autem consuetudines, saltem inter Evangelicos longius extenderunt hanc Justiniani constitutionem, ut mortuo patre etiam matris requirant consensum, & patris emancipatoris, *Hopp. ad pr. J. sol. 87. in usibus hodiernis* quia utriusque debetur

re-

reverentia non minus, quam patri, qui habet in potestate per LL. civiles *L. 9. ff. de obsequiis parent. & patr. prest.* per leges divinas ad Ephes. 6. ubi Apostolus dicit: *Filii obedite parentibus vestris.* per præceptum quartum decalogi. Exod. 22. v. 14. *cap. 34. v. 16. &c.* Et has rationes iudico sufficere ad id, ut liberi a talibus sponsalibus, in quæ se improvide præcipitarunt sine læsione conscientiæ recedere possint, immo debeant, nisi conscientiam suam peccato lethali commaculare velint, nec iuramentum appositum convalidat sponsalia, aut stringit, quia iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis *cap. 18. 2. de iure jur.* nisi tamen concubitus accesserit, Propter quem sustinentur sponsalia & sunt consummanda, nisi gravissimas causas contradicendi habeant parentes *Struv. Juris prud. Rom. Germ. Lib. 1. tit. 5. apboris 2.* propter graviora mala, quæ alias contingerent, tam puellæ corruptæ, quam proli inde natæ. Qualem tamen exitum talia matrimonia sint habitura, perpendant illi, qui præcepti quarti terrificæ verba non sunt obliti.

Th. 15.

Jure canonico an requiratur consensus parentum ad substantiam matrimonii, & sponsaliorum contentio est inter Doctores. Pontificii passim negant, sed affirmativa verior est, per *cap. nostrates causa 30. Q. 5.* ubi dicitur: *aliter non sit legitimum conjugium, nisi ab his, qui super feminam dominationem habere videntur, uxor petatur, & a parentibus sponsetur. can. 1. eod.* habentur hæc verba: *fœdera quoque consensu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur.* Huc facit *can. 16. can. 32. Q. 2. &c.* Hos quidem textus pontificii DD. de honestate explicant, sed male, quia in-

du-

bio ex jure civili jus canonicum est interpretandum *cap. 1. x de novi operis nunc.* Non obstat *can. 2. cau. 27. 2.* & alii canones, ubi dicitur, solum consensum eorum sufficere, de quorum conjunctione agitur, nam particula exclusiva accipitur in ordine ad copulam, ut idem sensus sit, qui est *L. 30. ff. de R. J.* nam non est vero simile, eundem pontificem sibi contradixisse, dum aliud statuisset in dicto *can. nostrates*, & aliud in *can. sufficiat*, & hoc patet ex ipso canone, qui se refert ad leges antiquiores, quæ sine dubio sunt leges civiles, illæ enim multo sunt antiquiores canonibus. Fortius obstare videtur *cap. 6. x de rapt.* ubi dicitur raptam non esse, quando mulier desponsata rapitur, & cognoscitur parentibus reclamantibus, ergo matrimonium et sponsalia sunt valida sine consensu parentum. Multi DD. improbant hoc. cap. & dicunt per subsequens Innocentii rescriptum corrigi. Sed potest responderi cum aliis conjugium permitti a pontifice, non quod fuerit legitimum ab initio, sed quod concubitus superveniens non sinat illud rescindi, ut ita succurratur liberis ex tali matrimonio natis, & virgata, quæ non facile sit inventura alium maritum, quam rationem etiam hodiernæ consuetudines sequuntur in hoc casu. Concilium trid. quod. parentum consensum non requirit *sess. 24.* & anathemate ferit eos, qui affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, prorsus contemnendum est, & miror infallibile concilium hic errare, dum putat eos posse anathemate feriri, & consequenter graviter peccare, qui id statuunt, quod conforme est juri naturali, divino, canonico antiquiori, aut certe duorum infallibilium interum errare necesse est, aut Nicolaum pontificem in

can. 2. supra alleg. aut concil. trid. Obijciunt: quod Deus conjanxit homo non separet. Resp. Deus non conjungit, nisi ubi legitimus est consensus. Cum ergo viderimus, consensum parentum ad sponsalia omnino necessarium esse, & eo neglecto magna injuria affici parentes, & liberos ingratos existere, hinc facile concludendum est, solum hunc contemptum causam sufficientem præbere parentibus non assentiendi talibus sponsalibus, & parentem non posse cogi ad assentiendum Carpz. p. 4. Const. 20. def. 14. licet alias sponsa sit persona dignitati filii congrua, ne dicam si sit incongruens. Quod si filius sub conditione contraxerit, si pater consenserit, nulla injuria irrogatur patri, & consequenter hæc causa non est rigide dissentiendi, si nulla alia subsit, ut adeo pater per consistoria adigi possit ad consensum, vel si nolit consensus suppleri Hop. in consens. ad tit. de pup. sol. 77. Non obstat, quod in definitione sponsaliorum non ponatur consensus parentum, Resp. enim non ponitur consensus parentum explicite, ponitur tamen implicite, nam definiuntur sponsalia per consensum, consensus autem non est perfectus eorum, qui non sunt sui juris, nam *velle non creditur, qui obsequitur imperio patris vel Domini L. 7. ff. de R. J.* & sic quemadmodum ad contractum pupilli requiritur autoritas tutoris ad integrandum consensum pupilli, ita requiritur consensus paternus tanquam complementum consensus contrahentium, in quo consistere essentialiter sponsalia dictum est. Non obstat etiam, quod sponsalia debeant esse libera, nam libertas ista interpretanda est,

C

ut

ut sit conformis legibus & honestati, nam libertatem ita descripsit Imperator §. 1. *J. de Jure pers. quod sit naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi, si quid jure prohibetur, non ergo libertas est, quæ exercetur lege prohibente, sed licentia.*

Th. 16.

An autem sponsalia contra consensum parentum inita jure naturæ sint irrita, intricatior videtur esse tractatio, & si præscindamus a Jure civili & canonico, certius videtur, matrimonium eo jure esse quidem illicitum, sed non invalidum. Nam si esset invalidum, non posset moribus sustineri propter copulam supervenientem, quemadmodum sustineri inter parentes & liberos propterea non potest. Verum sponsalia irrita esse arbitror, quia, ut dictum est, matrimonium sine consensu parentum contractum jure naturæ est illicitum, ergo nulla obligatio potest dari ad illud implendum, implicat enim contradictionem ad illicitum obligari, cum illicitum teneamur fugere, quo facit *L. 15. ff. de condit. Inst.* ubi inquit *ictus, que facta ledunt pietatem, existimationem veritatem nostram, & contra bonos mores sunt, ea nec nos facere posse credendum est, huc spectat etiam arg. L. 6. §. 3. ff. mand. vel contra.*

Th. 17.

Hinc illa quaestio venit dissolvenda, annon consensus tutorum & curatorum perinde requiratur, ut parentum? Et de curatoribus manifesta res est, ex

L. 20.

L. 20. ff. de ritu nup. ubi habetur: ad officium curatoris non pertinet pupilla nubat, an non nubat, & pupilla (id est adulta) suo arbitrio nubit, quia officium curatoris ad administrationem negotiorum spectat, ad personam non pertinet. Majus potest esse dubium de tutore, quia ille datus est ad gubernandam personam. *Sum. ff. de tut. & pupilla sine auctoritate tutoris se obligare non potest pr. ff. de auct. tut.* Resp. tamen tutorum consensus non requiri periinde ut parentum, alias enim aequo ut parentes matrimonium contra eorum consensum contractum possent rescindere, cujus contrarium sancitur in L. 4. C. de spons. cur enim consensus parentum tantum sit tributum, ratio est: quia parentes ex pietate, quam nullus affectus vincit L. ff. C. de curat. furios. optima consilia pro liberis capiunt L. nec in ea ff. de adulter quae ratio cessat in tutoribus, quorum fidei jura romana non sat fidunt, & hiuc matrimonia & sponsalia inter tutorem & eiusque filium, & pupillam profus vetuerunt L. 15. ff. de spons. quia verebantur jura, ne tutores ditescerent cum damno pupillorum. (2.) reverentia, quae jure naturae debetur parentibus, non est eadem in tutoribus, nec potestas tutorum se extendit ad gubernandas personas pupillorum in ordine ad spiritualia, cujus generis est matrimonium. Non obstat L. 1. C. de nup. ubi videtur, requiri consensus tutoris; Resp. ibi esse casum, ubi inter tutorem, matrem & propinquos oritur contentio, & pupilla neutri parti accedere vult.

Ad festinatas nuptias referuntur hodiernis moribus illæ, quas ii conantur contrahere, qui non sunt in eo statu, ut uxorem alere possint, & hoc optima ratione est introductum, ne per tales nuptias in rempub. inducatur egestas & mendicitas, per quam publicum læditur, & idcirco non permittuntur. Hopp. *tit. de nup. in pr. fol. 70. in u. b.* obstat, quod per hanc prohibitionem in periculo animæ constituantur ii, qui uxorem alere non possunt, nec præditi sunt dono continentia. Resp. hos mores directo intendere bonum publicum, & si quid mali propterea privato accidat, id evenire per accidens, ipsi, qui patitur imputandum, quod non querat occasionem uxorem alendi, vix enim in republica nostra evenire potest, ut desit strenue laboranti conditio alendi uxorem, quæ & ipsa manum apponere debet. Quod de festinatis nuptiis mox dictum, ad sponsalia non pertinere videtur, quia cessat ratio, quæ obstat dictis nuptiis, nam in sponsalibus differtur matrimonium. Sed tamen nec hæc omnino excuso, quia sæpe homines per talia sponsalia commodis suis quam maxime obstant, dum, postquam ad honestam sese alendi conditionem pervenerunt, pinguioribus nuptiis sibi consulere possent, verum postquam inconsulte semel placuerunt, amplius displicere non possunt per elegantem *L. 1. pr. ff. de pactis.*

Ad inconsulta & intempestiva sponsalia merito referuntur illa, quæ unus conjux adhuc vivente altero eum magis dilecta persona contrahit. Et hæc maxime esse improbanda abunde apparet ex luctuoso exitu, qui inde sequi solet. Nam inde oriuntur neces & adulteria. Hæc si sint de presenti, nulla sunt, quia vinculum matrimoniale est incommunicabile duobus, & species polygamix, gravi poena, non tamen mortis, nisi accesserit concubitus dignæ Carp. p. 4. const. 2. def. 3. n. 4. 5. 6. Si sint de futuro, uno saltem casu subsistere puto, si sc. concepta sint in casum mortis conjugis, quia vero res mali exempli est, vix credo tales audiendos in consistoriis, sed tamen & hæc una cum prioribus duobus casibus nulla sunt, & causant impedimentum dirimens matrimonium inter personas desponsatas etiam post mortem alterius conjugis, nimirum (1) si viva uxore mulier alia desponsata, vel matrimonium defacto cum ea initum, & simul cognita carnaliter Cap. 1. & 2. x. de eo qui duxit in matr. q. poll. per adult. ubi tamen requiritur, ut cum priore verum fuerit matrimonium, unde putativum non sufficit ad hunc effectum inducendum cap. 2. x. d. t. cap. 52. x. de R. J. in 6. non prestat impedimentum, quod de jure non foritur effectum. Deinde adulterium debet esse perfectum non inchoatum, aut attentatum duntaxat arg. Cap. f. x. d. 1. juncto cap. 15. de R. J. in 6. & L. 42. ff. de penis. nam hæc annullatio est poena, quæ locum non habet, nisi crimine perfecto, poenalia

enim non sunt asperanda, sed interpretatione mollienda. (3) requiritur, ut alter sit conscius conjugii prioris, nam si alter ignoraverit prius, non impeditur secundam post mortem prioris ducere novo consensu interveniente *cap. 9. d. 1.* cum alias non sit formale adulterium, ob quod poena praecipue imponitur, nec debeat vir ex suo dolo reportare commodum *cap. 2. x. d. 1.* Quod si fuerint conjuncti superstite priore conjugē, vir non potest prima mortua a secunda inscia matrimonii prioris recedere, ne dolus ipsi patrocinetur *cap. 1. d. 1.* & quia deceptis insciam, decipiens autem tenetur circumventam indemnem servare, quod aliter fieri non potest, nisi retineat illam, sed tamen secunda est licentia recedendi a tali viro, quia non est obligata, deficiente ejus consensu, nam consensit in virum matrimonii incapacem, qui consensus est nullus, nisi post mortem prioris conjugis impedi- menti conscia ratificaverit. (4) requiritur, ut promissio sit expressa, cum in mente retenta nihil operentur. Secundus casus est, si sponsalia sunt facta *Zoef. in decret. tit. de eo qui duxit in matr. q. polluit per adulte.* cum machinatione in necem alterius conjugis, ubi tamen machinatio debet suam sortita esse, eff. etum, nam verba *cap. 1. § 6. d. 1.* cum effectu sunt accipienda utpote poenam continentia *L. 1. in f. ff. quod quisque juris in alterum statuerit.* Debet etiam uterque ad eam concurrere saltem consilio, aut mandato ad mortem cooperando, idem *Zoef. d. 1.* ratificationem tamen etiam puto sufficere ad dictum effectum, contra eundem *d. L. per cap. 10. de R. J. in 6.*

Hæc dicta hac de materia sufficiant, majori apparatu eandem deducere potuissim sed ratio temporis, & aliæ causæ intra angustos terminos me consistere jubent, idcirco benevolum lectorem enixe rogo, ut hæc pauca æquibonique consular. De cætero Deo T. O. M. sicut alios universos labores ita etiam hanc opellam demissa mente consecro ad alios uberiores, & feliciores labores ampliorem benedictionem exorans.

SOLI DEO GLORIA.



HAec doctrina thori, decisis ordine rixis,
Quas in jure patrum turba movere solet:
Erudiet cunctos, qua sit ratione modoque
Sponsa suo recte confocianda thoro:
Hæc doctrina docet, quod mandat *Biblia* Mosis
Quod Canones Papæ, juraque Romulidum:
Hæc doctrina docet consulto ducere amicam,
Hæc doctrina etiam, quæ fugienda, docet.
Ergo Tui tanta celebrandi laude labores,
Quantus connubiis est perhibendus honos.

*Tibi, Vir Consultissime,
quævis bona adpre-
catus hæc animus
scripsit*

N. G. DRESSELIUS Hilperh. Fr.
LL. C.

Pectore felici Themidos Te rite bibisse
Fontes, atque sitim juris relevasse perennem
Hactenus: egregie Tua dissertatio monstrat.
Hinc meritò summi Tibi conceduntur honores,
Quos ter felices, salutareshque futuros,
Utque sitim juris sedes cupientibus, opto.

*Præ Nobilissimi atque
Doctissimi Domini
Doctorendi dedi-
tissimus*

I. G. SPRING. Hamburg.
LL. C.

Jena, Diss., 1711 (AIR)

ULB Halle 3
004 171 470



56







16

C. 21. num. 39.

1711, 7

10

CUM DEO
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE
**INTEMPESTIVIS
DESPONSATIONIBUS**

7386

QVAM
DIVINO FAVENTE NUMINE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GUILIELMO HENRICO
DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM,
ANGARIÆ, WESTPHALIÆQUE ET RELIQUA.
Ex Decreto & Auctoritate Illustris Facultatis Juridicæ
IN ALMA SALANA

PRÆSIDE
DN. IOHANNES BERNHARDO *Griesen*
HÆREDITARIO in Posen/

Jcto Famigeratissimo, Serenissimi Ducis Saxo-Henacensis Consiliario
Aulico, ac Confistoriali, Antecessore, nec non Collegii Juridici
& Scabinatus Assessore Gravissimo,

*Domino Patrono suo ætatem devenerando,
Pro summis in utroque Jure honoribus ac privilegiis Doctoralibus
rite consequendis*

Publicæ Eruditorum disquisitioni subiciet
JOHANNES HARTMANNUS
EILINGEROD. EICHSFELDIACUS.

ad D. Julii 1711.
IN AUDITORIO JCTORVM
horis ante- & pomeridianis.

JENÆ, Literis WERTHERIANIS.

